



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

79. Tria per professionem Religiosus resignat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SYMBOLUM 78.

Tria S.S.S. designant communiter ter sanctus de quo supra pag.

38. *Hic sunt signa, quibus perspicitur, an in monasterijs disciplina vigeat, vel non; conformiter illis tribus, quæ scribit Corn. a lap. solerter observata a S. Ignatio in Isa. 30. v. 15. quæ sunt quasi virgulæ vietæ colligantes vasis circulū.*

Vt vas conseruetur.

Silentium seu non strepitus, clamores, fabulæ &c.

Sera id est clausura portæ &c. sedulitas in decore domus, studio, labore &c.

L Ojoides prius armorum clarissimus usu,

At magis in sanctâ Relligione sagax.

Sedulus inculcat servanda silentia (a) strictè,

Clave fores clausas, munditiemque probat.

Hæc tria cænobij reputes insignia culti,

Hæc tria sunt Trino symbola grata Deo.

(a) *Scribitur in vitâ S. Bern. lib. 1. cap. 7. quod in Clarevallensi Monasterio sub ipso, tanta silentij cura fuerit, ut media die media noctis silentium a supervenientibus inveniretur, & nihil præter laborum sonitus, vel si fratres laudibus Dei occuparentur, audiretur. Quod maximam famam & reverentiam apud sæculares causabat.*

SYMBOLUM 79.

Tria sunt quæ Religiosus per professionem suam resignat &

Deo offert, scil. res, corpus, & animam. Ex Pinchario

Vest. Nupt. lib. 2. cap. 2.

C Orpus, opes, animam Triados tria dona reponis

Ante ter augustos Relligiose pedes.

(a) *Æquat Martyrium brevius, maceratio jugis,*

Majus adhuc animæ ponere frena suæ.

Quot

Quot Trias in cælo texat perpende corollas ;
Pauperie fluxas abijce (b) lætus opes.

(a) Martyrium exigui temporis pena, & effusio sanguinis est, talis autem abrenuntiatio, continua quasi carnificina, & sui ipsius, suorumque omnium delectabilium profusio juxta illud: propter te mortificamur totâ die estimati sumus sicut oves occisionis. (b) Non sicut ille cui cum suorum bonorum abdicatio consuleretur abijt tristis, eò quòd haberet multas possessiones. Matt. 19. Sed

Felix qui potuit fallacem spernere mundum,

Vivere qui potuit cum cellâ, codice, claustro. Vide Pinchar. Vest. Nupt. l. 2. cap. 14.

SYMBOLUM 80.

Triplicem motivum ad humilitatem juxta Bern. cogitando quid fuerimus, quid simus, quid erimus.

Antè quid? & quid nunc? quid postea? sperma fuisti,
Clausus adhuc utero foetor & horror eras.

Sed modò nec melior: nam sordens stercoris es vas,

Post modicum pulvis, vermis, & esca putris.

Ergo oriens, vivens, moriens adscribe Tri-uni,

Quidquid habes, gigni, quod fluit esse, mori.

Vide unde veneris & erubescere; ubi es, & ingemisce; quò vadis & contremisce. In sordibus generamur, in tenebris conforemur, in doloribus parturimur, nudi egredimur, & ploratu vivere incipimus: pulvis tamen sumus, & in pulverem revertemur. Quomodo superbire quispiam ausus fuerit? &c. Ambula ergo per Christi humilitatem, ut venias ad ejus aternitatem: Deus Christus, patria est, quò imus, homo Christus via est, qua' imus. Hujus via triplex tibi gradus sit. In primo agnosce vilitatem tuam ipse. In secundo, gaude contemptu tui ipsius ab alijs. In tertio, magnis etiam virtutibus, donis & honoribus non efferaris: in alto enim non altum sapere, sed humilibus consentire nil Deo charius ac apud homines est rarius. Hæc apud nostrum Pincharium S. Theod: Doct. quondam designatum Episc. Spiren. Vest. Nupt. l. 2. de statu proficientium c. 11 ex S. Bern. & P. N. Augustino.

SYM-